UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

De definitione per partes. Capvt XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68724

Visual Library

De definitione per partes.

CAPVT XVII.

Cicero de hac definitione oratoria agit 3. de orat. ſect. 108. & in oratore 117.

Definitio per partes duplex.

QVando intimas rerum formas, tanta obſcuritate humanis ingenijs natura vallauit, varios definiendi modos coguntur indagare, ipſi plerumque dialectici, ſed oratores, qui delectationem, & pompam quęrunt, non modò non coguntur, verùm lubentiùs, faciliuſque in hoc genere verſantur, quod varijs definitionum generibus oſtendam.

Primum occurrit, & illud quidem ſatis vſitatum, per partes conflatum; cùm videlicet ſingulas partes amplexi rem deſcribimus, quod duobus potiſſimum modis præſtari ſolet. Primò, cùm breuiter, & ſtrictè res exprimitur, vt ſi domum ſubſtructionem ex tecto, fundamentis, & parietibus definiam; annum ſpatium duodecim menſium; menſem ſpatium triginta dierum.

Lactan. l. 2. c. 5.

Altero cum ornatius, enucleatiuſque, vt in illuſtrioribus argumentis ſæpè contingit, partes aſſignantur. Si quæras à Lactantio, quid ſit ſphæra Archimedis? AEs concauum (dicet) varijs circulis, AEquatore, Zodiaco, coluris, tropicis, definitore confectum, quò ſimilitudinem mundi, ac figuram Archimedes machinatus eſt. In quo ſolem, ac lunam compoſuit, vt inæquales motus, & cœleſtibus ſimiles cōuerſionibus, ſingulis quaſi diebus efficerent, & non modò acceſſus ſolis, & receſſus, vel incrementa, diminutioneſque lunæ, verum etiam ſtellarum, vel errantium, vel vagarum diſpares curſus, orbis ille dum vertitur exhiberet. In quo genere diſertiſſimè luſit Claudianus.

Iupiter in paruo cùm cerneret aera vitro
Riſit, & ad ſuperos talia verba dedit.
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ.
Iam meus in fragili luditur arte labor.
Iura poli, rerumq; fidem, legeſq; Deorum,
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex
Incluſus varijs famulatur ſpiritus aſtris,
Et viuum certis moribus vrget opus.
Percurrit proprium mētibus ſignifer annum,
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit.
Iamq; ſuum voluens audax induſtria mundum
Gaudet, & humana ſidera mente regit.

Partes primarias expreſſit, Vitrum, ſpiritum, deinde Solem, Lunam, Stellas. Hæ definitiones cum ita fuſæ extiterint, deſcriptiones dicuntur. Et hæc eſt optima deſcribendi ratio, in rebus maximè corporeis ſingulas partes enucleatè proſequi.

De Definitione per cauſſas.

CAPVT XVIII.

SEcunda ratio definiendi, eaque ornatiſſima fit per cauſſas, a quibus profluunt effecta: hæc enim permagno inter ſe cognationis vinculo continentur. Sic Ariſtoteles ζέσιν αἵματος περὶ καρδίαν iram definiuit, ebullitionem ſanguinis circa cor, non quod hæc propriè ſit iracundia, ſed quod eo ſanguinis ardore, huiuſmodi excitetur affectus. Hoc nouerat Homerus, cum Agamemnonis iracundiam deſcribens canit.

Ariſtot. 2. de anima.

Μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι
Πίμπλαντ' ὄσσε δὲ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι
ἐΐκτην.

Homer. Iliad. 1.

Et Claudianus.

Claud. panegyr. de 4. conſ. Honor.

Iram ſanguinei regio ſub pectore cordis
Protegit, imbutam flammis, auidamque nocendi.
Præcipitemque ſui rabie, ſuccenſa tumeſcit.
Contrahitur tepefacta metu, cumque omnia ſecum
Duceret, & requiem membris veſana negaret.
Inuenit pulmonis opem, madidumq; fluenti
Præbuit, vt tumidæ ruerent in mollia fibræ.

Cum autem quatuor ſint rerum cauſſæ, rarius per formas internas, quia latent, nec ſæpe per finem, quia minus rei imaginem exprimit. Sæpius per materiam, per cauſſam efficientem ſæpiſſimè definiunt oratores, quod ita pleniorem rei, quam definiunt cognitionem mentibus ingenerent, cùm præſertim ſimile producat ſibi ſimile, magnumque ſit inter cauſſas efficientes, & effecta commercium. Quamobrem AEſchylus in Prometheo, vbi horribiles illos AEtnæ tumultuantis æſtus expreſſit, ſubijcit cauſſam quanquam fabuloſè vt Poeta.